Illustris et Amplissime vir.

Libro expetito, tandemq[ue] conquisito, Musam illi meam, novitate saltem commendatam, comitem ad te dedi. Hanc sane sub diversarum occupationum cumulo ut nuper primum ortam, ita paucissimo usu minus excultam, conspectum viri tanti ingenij, viri ut in omni literarum genere, ita in hoc eminenter versatissimi subterfugere potius, quam acerrimo eiusdem judicio sese committere decuisset: Ruditatem enim sui aliquam ut ipsa satis agnoscit, ita peregrinum vulgo receptum et a cultu Teutonico prorsus alienum, praegnantes ob causas, velamen rejecit. Pulchritudinem in membrorum concinna aptaque proportione ac dispositione magis, quam in sola earundem affectata teneritate, suppressisq[ue] naevis, fucata apparentia consistere existimans; incognita fere omnibus hisce in locis, simplici ad te cultu, invitata praesertim, procedere haud erubuit. A nullo enim ut magis benigne susceptam, sincere aestimatam, aequiusq[ue] habitam, ita quandoq[ue] splendidius excultam, publice celebratam aevoq[ue] consecratam, se fore confisa est. Plura de hac coram: brevi enim Filium T. A. Leidae invisurus, ad te quoq[ue] pergere decrevi. Interea optarem me proceribus quibusdam, eruditionis nomine, eruditorumq[ue] aestimatione, hoc in loco, claris; tua commendatione innotescere. Fructus inde redundantes in tuos, tibiq[ue] addictos, se derivaturum promittit,

Illustr. Tuae Amplitud.

Amstelodami
Id. Febr.
1647.

addictiss.

Christianus Otterus Ragnetanus.

Responsoriae, si ita visum fuerit, ad Ludovicum Elsevirium destinare licebit. Amstelodamum.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

695

B.P.L. 2049

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2049
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4545

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2049
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4545

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2049
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4545

Illustri ac Amplissimo
viro ac Domino
Dno Constantino Hugenio
Equiti
Toparchae in Zuilichem.
Celsissmi Principi Auriaco
a Consilijs secretisq.

port 12 st. Hagam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2049
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4545